

Taur. Excerpta ex codice Taurinensi 253. ad Septem aduersus Thebas attulit Peyronus in Notitia librorum Valpergae Calusii p. 60. seq. Desinit hic codex in versu Hermannianae editionis 821. Magna est eius cum Guelferbytano similitudo.

Ven. 1. 2. Codices duo Veneti, uterque Prometheus, Septem, Persas continens. Prior bibliothecae s. Marci 370. est, membraneus, saeculi XV. Alter chartaceus, eiusdem saeculi, ex biblioteca sanctorum Ioannis et Pauli in Marcianam translatus. Vtriusque collationem Butlerus ab Iacobo Morellio accepit. In Persis et Septem aduersus Thebas casu ab Hermanno neglecti sunt hi duo codices, nullo utilitatis detimento.

Vind. 1. 2. 3. 4. Codices Vindobonenses quattuor, quorum lectiones in Prometheus et Septem aduersus Thebas a Bastio excerptas Schützius protulit.

Vit. Codex Vitebergensis, chartaceus, saeculi XIV. Continet Prometheus, Septem, Persas; sed Promethei versus priores 269. (ut ab Hermanno numerantur) perierunt. Contulit eum ipse Hermannus, et multo quidem accuratius quam Zeunius fecerat, qui de hoc codice in dissertatione anno MDCCCLXXX. edita exposuit.

In Hermanni commentariis, ad Oresteam et Supplices integra lectionis varietas ex codicibus affertur; tum, ut par est, in omnibus fabulis quidquid ex Mediceo libro exscriptum est; praeterea, ut deteriorum etiam codicum certe nonnulli accurate cognoscantur, quae ipse Hermannus ex codicibus a se diligentissime excussis, Guelferbytano, Lipsiensi, Vitebergensi Prometheique Augustano congesserat: ceterorum codicum commemorationem, ubi plane inutilis esse videretur, passim omisit, et multo magis eum hanc partem commentariorum suorum contracturum fuisse annotationes ad Prometheus et Septem aduersus Thebas, ex parte retractatae ab eo ante aliquot annos, satis ostendunt.

Impressorum exemplarium antiquissimum

Ald. Aldinum est, a Francisco Asulano mense Februario anni MDXVIII. editum. Eum in Orestea et Supplicibus codice Guelferbytano et nullo praeterea alio usum esse et alii intellexerunt et Hermannus planissime demonstravit. In reliquis fabulis maior est codicum maxime Oxoniensis et Veneti 370. similitudo.

Rob. Editio Francisci Robortelli Vtinensis, quae Venetiis "apud